# DE EGREGIO, QUOD IN REBUS CORPOREIS CONSTITUIT

# PLOTINUS,

## PULCHRI PRINCIPIO.

---

SCRIPSIT

A. J. VITRINGA,

PHIL. THEOR. MAG. LITT. HUM. DOCTOR, GYMNASII DAVENTRIENSIS RECTOR.

Quaerenti, qua re adductus, post tot egregia scripta de rebus aestheticis, imprimis inde a saeculo XVIII medio a viris doctis in lucem editis, nunc antiquum illum Plotinum de pulchro docentem apud viros doctos nostrates introducam, responsum paratum habeo. Est enim Plotini philosophia quum caeteris partibus, tum in exponenda pulchri natura tam praestans, ut non viderim hac de re a recentioribus sententiam prolatam esse, qua quaestio ad meliorem finem perducatur et acutius dirimatur. Attamen nec pauci eandem viam, quam philosophus noster secutus est, ingressi sunt, nec dubitaverunt, quin pulchrum in *forma* quaerendum sit (1). At non viderunt, et in his restrictionibus praecipuum philosophi Neoplatonici meritum positum esse arbitror, necesse esse, ut *una* modo forma quum materiae tum imprimis caeteris in eadem re occurrentibus formis seu ideis imperet, nec formam praestantissimam ac gratissimam per se solam minime sufficere, ut pulchra res fiat, at omnino materiem eam esse oportere, quae a forma domari possit. Non qualiscumque materia, v. c. res unice ad vitae commoda et propter usum ipsum facta, ea est, quae se ita a forma subjungi sinat, ut animi spectatorum vel inviti avocentur a materia, e qua res composita, aut ab usu, cui inservit, verbo, ab omnibus quae hac forma continentur. Quod quum recentiores perpetuo fere neglexerint, nil mirum est profecto in infinitum usque disputari posse de pulchro in ejusmodi rebus, quibus neutiquam inesse possit, licet earum partes exteriores tam artificiose confectae sint, ut eodem artificio in aliam materiam adhibito sponte eximia pulchri species nasceretur. Diu multumque disputari potest de pulchro in aedificio, quod architectus ad amoeniorem vitae cultum ita instruere jussus est, ut conclavia sint spatiosa, hieme ut frigus facile arceri possit, aestate, ut nec solis radii nimis in ea penetrent

---

(1) Satis notum est viro egregio in rebus aestheticis Lessingio pulchrum ita in formis solis positum fuisse, ut etiam doleret in pictura usum colorum introductum esse. Nullus autem inter recentiores est, qui propius ad Plotini doctrinam accedat quam Schillerus (Ueber die ästhetische Erziehung des Menschen. In einer Reihe von Briefen. Operum vol. XII). Quamquam satis liquet eum Plotinum nec legisse nec hujus placita novisse.

nec tamen tristes tenebrae regnent, ut omnia facilem aditum habeant, et variae supellectiles aptum in iis locum inveniant. Num fieri possit, ut architectus et his omnibus vitae commodis satis faciat et tamen haec omnia mere vitae usum spectantia ita pulchra forma occulat, ut spectantis animus in hanc solam defigatur, de illis vero ne cogitet quidem? Num in tali domo idem efficere possit, quod in aede sacra, in qua condenda id unicum est artificis consilium, ut visus jucunde moveatur et mens a rebus terrestribus ad coelestes revocetur? Quamquam fatendum est et hodie in ejusmodi aedibus condendis ita attendi ad varia vitae commoda, ut auditores facile verba concionatoris auscultent, ut sedes ac subsellia apte distributa sint, ut sufficiens lux effundatur, ut vel in his aegre forma absolutum imperium in materiam reportare possit. Quis de pulchra forma cogitet in oratione, qua v. c. agitur de optima agri stercorandi ratione? — Possunt singula verba et sententiae ita disposita esse, ut in his nil reprehendendum sit, potest argumentatio ita apte procedere, ut apud auditores persuasio efficiatur, potest ejusmodi orationi hoc sensu facundiae laus adtribui, sed pulchra nec esse potest nec, si posset, debet fortasse, nam auditores non avocandi sunt a rebus vitae communis, imo multo magis ad eas revocandi. Quin pulchra forma nonnumquam oberit aptae expositioni rerum, de quibus agitur.

At valde mirandum doctissimos Plotini interpretes, Creuzerum (1), Julium Simonem (2), Vacherotum (3), Kircherum (4), Bartholomeum a sancto Hilario (5), non satis attendisse ad egregiam ejus de pulchro sententiam, imprimis Creuzerum dico, qui sextum Enneadis primae, quo de pulchritudine agitur librum, separatim ediderit, et cum aliorum philosophorum ex antiquitate, Procli imprimis sententiis, contulerit. Etenim suspicor hos omnes interpretes eloquentia Plotiniana vel invitos abreptos fuisse in illam pulchritudinem, quam solam verum pulchrum Neoplatonicus praedicat, pulchrum non sensibus obvium, sed divinum illud pulchrum, quo in moribus ac institutis conspicuo animus ad res divinas contemplandas evehatur. Ac revera pulchrum in materia expressum ita obiter et negligenter fere a philosopho tangitur, ut lector facile eo adducatur, ut id aeque parvi habeat ac auctor ipse.

Et vix aliter fieri potest, quin in Plotini scriptis ab acutissimo etiam lectore multae egregiae sententiae aut praetereantur aut mox in oblivionem abeant. Tanta enim est copia placitorum, ea est concinnitas, qua singula enuntientur, ut animus lectoris de alia sententia ad aliam detrudatur et ad omnes animo retinendas et perpendendas vix locus relinquatur. Quo fere necessario accidit, ut ea, quae a philosopho, quippe minus universum argumenti consilium spectantia, prae caeteris brevia enuntientur, gravioribus placitis cedant.

---

(1) Quum in editione Enneadum Plotini, tum in Plotini libro de pulchro, separatim edito Heidelbergae, anno MDCCCXIV.

(2) Histoire de l'école d'Alexandrie, par Jules Simon. Paris, 1845. 2 vol.

(3) Histoire critique de l'école d'Alexandrie, par E. Vacherot. Paris, 1846. 3 vol.

(4) Die Philosophie des Plotin, von C. H. Kircher. Halle, 1854.

(5) De l'école d'Alexandrie. Rapport à l'académie des sciences morales et politiques, par J. Barthelemy Saint-Hilaire. Paris, 1845.

Nec tamen supersedere potui Platonis de pulchro sententiam enarrare, quum libri Neoplatonicorum sint velut commentarii in illius scripta, quumque hi, quae ille obscurius aut diffusius in variis dialogis tractat, in unum systema redigere et explanare conati sint, nec neglexerint tamen ea nova placita, qua Aristoteles et Stoici imprimis philosophiam auxerunt. Et paulo accuratius investigandum esse censui in Platonis sententiam de pulchro in rebus sensibilibus, quum mihi viderer hac in re nonnihil discrepare a recentioribus hujus philosophi interpretibus, quod quantum sit qui perspicere vult, is adeat recentissimum, quantum equidem scio, historiae de aesthetica scriptorem Zimmermannum (1).

Omisi autem Plotini sententiam cum recentiorum placitis conferre, non quod eam disquisitionem supervacaneam haberem, sed quia ejusmodi disputatio vix uno volumine nedum paucis pagellis contineri poterat.

Adjunxi vero huic libello versionem Neerlandicam libri VI Enneadis I. Quum enim saepius animadvertissem Plotinum apud viros doctos in patria nostra fere ignotum esse, non hujus operae me taeduit, ea spe ductus, fore ut, licet paucis, persuadeam scripta Plotiniana minime adnumeranda esse iis monumentis antiquitatis, in quibus genius ille Atticus totus fere barbariae sordibus ac nugis obrutus vix agnosci queat.

---

(1) Geschichte der Aesthetik als philosophischer Wissenschaft, von Dr. Robert Zimmermann. Wien, 1858.



In hippia majore de pulchro disputant Socrates et Hippias sophista, atque illo rogante, quid sit pulchrum, hic non dubitat respondere (1), summum sibi pulchrum videri virginem pulchram (2) et statim addit, tamquam argumentum; „ quia omnibus ita videtur." Consensus omnium est igitur, ex opinione sophistae, norma, qua pulchrum dijudicandum sit. Hoc modo notae pulchri fiunt mere subjectivae, quam sententiam multi sunt, qui etiamnunc suam faciunt, ita negantes aestheticam in systematis formam redigi posse. At Socrates Platonicus non acquiescit in responso tam vulgari; nonne equa pulchra, inquit, lyra pulchra, imo, olla pulchra eodem jure dici possunt pulchra? — Qua interrogatione sophistam docere vult, se non quaerere de hac illave re pulchra, sed de notis universalibus pulchri. Jam (3) Hippias cogitans de ejusmodi nota, respondet, eam sibi videri in auro contineri; hoc enim omnes res ornari, easque, quibus adsit, pulchri speciem accipere (4). Quo responso satis puerili Plato, me judice, nil aliud significare voluit, nisi hoc, notam pulchri non quaerendam esse in hac illave materia; nam mox ostendit eburnea, lapidea, alia, aeque pulchri nomen mereri, siquidem iis rebus, in quibus reperiantur, prudenter sciteque accommodata sint. Igitur sophista aliam rationem init, et plane a scopo aberrans, pulchrum in eo positum arbitratur (5), ut quis fruatur prospera valetudine, opibus ac divitiis abundet, omnibus afficiatur honoribus, parentibus honorifice sepultis ipse ad beatam per-

---

(1) Hipp. maj. p. 287. E.

(2) Ne tamen sophistae incliti sententia nimis insulsa videatur, huc adscribam enuntiationes, quales inter recentiores deprehendimus apud Platnerum: Das Weib ist der Mittelpunkt der Schönheit. Wir nennen schön Alles, was mehr oder weniger Aehnlichkeit mit dem Reiz des Geschlechtstriebs hat. — Schön ist die Wellenlinie, weil sie am weiblichen Körper sich findet. — Wir finden Bewegungen Schön, die sich am Weibe finden. Ernst Platner: Vorlesungen über Aesthetik. In treuer Auffassung nach Geist und Wort wieder gegeben von dessen dankbarem Schüler W. M. Erdmann. Zittau und Leipzig. 1836.

(3) Ib. p. 289. D.

(4) Audias Zimmermannum de philosopho Britannico Homio ita disputantem „ Die Schönheit der Farbe ist zu bekannt, als dass sie Erkläring bedürfte. Trägt nicht die glänzende und lebhafte Farbe des Goldes und Silbers viel zu dem hohen Werthe bei, den man diesen Metallen giebt? Der Kaufmann verräth sich auch hier; der hohe Werth des Goldes und Silbers muss selbst in die Aesthetik eingreifen. — Gesch. der Aesth. p. 233.

(5) Ib. p. 291. D.

veniat senectutem, denique mortuus a filiis pie et magnifice sepeliatur; scilicet nomine pulchri ea omnia complectens, quae, e sententia Graecorum, ad beatam vitam pertineant.

Jam Socrates ipse plures definitiones pulchri proponit, quarum prima est, an fortasse pulchrum sit *τὸ πρέπον καὶ ἡ φύσις αὐτοῦ* (aptum et commodum) (1)? — Quum autem postea pateat illo apto et commodo potius effici, ut res pulchrae esse *videantur*, non ideo pulchrae *sint*, hoc etiam rejicitur, quum de pulchro ipso, non de falsa ejus specie disquiratur. — Deinde (2) Socrates vult pulchrum contineri in utilitate (*τῷ χρησίμῳ*). Utile autem id dicitur, cui inest vis aliquid efficiendi. Quoniam vero hi effectus aeque mali ac boni esse possunt, notio pulchri interdum cum ea mali congrueret, quod quum ipsius pulchri naturae repugnet, quae omnino postulat ut cum bono conjunctum sit, id demum *χρήσιμον* erit pulchrum, quod bonum efficit. Ita vero in aliam difficultatem incidimus, ut nempe pulchrum sit *causa* boni. Causa autem distincta est ab effectu; quo fit, ut pulchrum *non* sit bonum, quod tamen ejus notio postulat. Inde, hac quoque definitione rejecta, Socrates arbitratur pulchrum nihil aliud esse nisi jucundum, quod visu audituque percipiatur (3). At per caeteros sensus etiam jucunda percipi possunt. Quid igitur causae est, ut ea sola jucunda, quae per visum et auditum percipiantur, nomine pulchri digna sint? Et profecto auditus aut visus ipse per se non in causa esse potest, ut jucundum aliquid fiat pulchrum, nam sunt modo instrumenta, quibus animus laete afficitur. Itaque denuo quaerendum est, quid sit tandem illud, quo ea pars jucundi, quae ad auditum visumque refertur, pulchrum habeatur, quo facto mox patet nos nihil ultra quam in initio dialogi ad naturam pulchri perspiciendam profecisse. Fortasse tamen aliquid lucis quaestioni offundatur reputantibus, jucundum, quod per auditum et visum percipiatur, hinc pulchrum audire, quia hi sensus praestantiorem locum occupent prae caeteris, gustu, olfactu, quorum usus praecipuus sit in functionibus et necessitatibus vitae animalis, cibo potuque. Et revera jucunda per visum auditumque percepta potius spectant vitam, quae dicitur intellectualis, imprimis, apud homines saltem, inserviunt ad ingenium formandum, ad eas notiones percipiendas, quibus animus nutritur. Si igitur haec jucunda, prae caeteris, utilia (4) appellanda censemus, fortasse recte distinxerimus, sin pulchrum hinc definimus jucundum utile (*ἡδονὴν ὠφέλιμον*), eaedem difficultates redeunt, quibus coacti fuimus desistere ab ea ratione, qua videbatur pulchrum contineri utilitate ipsa. Ita partes disputantes discedunt nulla probabili de pulchro sententia inventa.

Quum vero satis notum sit in ejusmodi dialogis Platonis, quibus philosophus fateatur se quaestionem non ad felicem eventum perducere potuisse, nec aliquid veri invenisse, tamen multum veri latere, age, videamus, quid de natura pulchri variis in hoc dialogo propositis definitionibus doceamur.

1° Introitus loco ad universam quaestionem, auctor monet, jam non agi de hac illave re, quae a plurimis, imo ab omnibus, nomine pulchri insigniatur, sed de universa aut abstracta qualitate, quae quibus insit, pulchra reddat.

---

(1) Ib. p. 293. E. (2) Ib. p. 295. C. (3) Ib. p. 297. E. (4) Ib. p. 303. E.

2° Hanc qualitatem non positam esse in materia, e qua res conficiantur, secundo loco docemur;

3° Neque ejus notionem confundendam esse cum iis, quae ad beatam et felicem vitam pertineant.

4° Propius autem ad ejus naturam accedit id, quod aptum et congruens appellamus; quod tamen quum potius externam rerum speciem quam virtutem interiorem spectet, philosophus nos docet pulchrum non referendum ad eas qualitates, quas accidentales nominemus, sed in intima rerum natura situm esse.

5° Imo tam excellens ejus natura est, ut non sejungi queat a bono.

6° Attamen non bonum ipsum est, nam refertur ad sensus externos et eorum quidem ad visum auditumque. Si illi sensus jucunde afficiuntur, causa movens pulchrum est, ea saltem conditione ut illud jucundum non a bono separatum sit.

Quum igitur pulchrum sit qualitas rerum, qua visus auditusque jucunde moveantur, tamen arctissime cohaeret cum vero et bono.

Et hanc esse genuinam Platonis de pulchro in rebus, quae sensibus percipiantur, sententiam proxime patet e simili GORGIAE loco (1), ubi hunc in modum disseritur:

„ SOCR. Quid vero de hocce sentis? Pulchra omnia, uti et corpora et colores et voces et „ instituta, numquid ea pulchra vocas ad nihil respiciens? Ut ecce primo loco corpora pulchra, „ nonne aut utilitatis ratione habita dicis pulchra esse, atque ad id pul- „ chra, cujus usui serviunt; aut propter aliquam voluptatem, videlicet „ quod in spectando spectantes voluptate afficiant? Habesne, praeter haecce, „ quod de corporis pulchritudine dici possit? POLUS: Nihil aliud. SOCR. Num itaque caetera „ omnia et figuras et colores vel propter jucundi sensum aliquem, vel propter utilitatem, vel „ propter utrumque pulchra appellas? POLUS. Ita prorsus. SOCR. Nonne et voces et quae „ ad musicam pertinent eadem ratione? POLUS. Ita. SOCR. Quin etiam, quae pertinent „ ad leges et instituta, non ob aliam causam pulchra sunt quam quod aut utilia aut jucunda aut „ utrumque sint. POLUS. Non, ut mihi quidem videtur. SOCR. Nonne igitur de disciplinarum „ pulchro idem existimamus? POLUS. Idem prorsus; et nunc quidem pulchre definis, o „ Socrates, pulchrum definiens per jucundum et bonum."

Nec discrepat locus in alio dialogo, PHILEBO, in quo tamen de natura illius jucundi et utilis, quibus pulchrum constet, paullo accuratius docemur. Operae pretium est locum (2) huc adscribere.

„ Jam, inquit Socrates, non conor dicere de pulchritudine figurarum, qualem plerique „ forsitan intelligant, ut puta animalium aut imaginum pictarum, sed loquor de linea recta et „ orbiculari et de planis, quae inde tornis conficiuntur et de solidis et de iis, quae perpendiculis „ et angulis fabricantur, si me intelligis. Haec enim non pulchra esse dico, quatenus ad alia „ referantur, ut alias res, sed semper esse pulchra per se et proprium quoddam sibi jucundum

(1) p. 474 D. (2) Phileb. p. 51 C.

„ habere, minime simile jucundis sensuum titillationibus; colores item eadem ratione pulchros „ atque gratos esse dico."

Pulchrum itaque et hoc loco refertur ad jucundum gratumve oculorum et (ut e proxime sequentibus patet) aurium sensum.

At nemo est, quin perspexerit, ejusmodi enuntiationibus notionem pulchri minime definitam esse. Jucundum gratumque sensibus est *effectus*, quem qualitas rerum, quam pulchritudinem vocamus, gignit. Item utile tantummodo aliquid vocatur, si bona, quorum causa est, respicimus. Quid sit illud, quod et jucundum sensum et utilia illa efficiat, minime perspectum habemus, quod magis etiam patet, reputantibus jucundum et gratum non esse in objectis, quae sensibus percipiantur, sed in subjecto, quod ab illis afficiatur; res externae non sunt jucundae grataeque, at in nobis excitant gratum sensum (1).

Hinc verba, quae ultimo loco vertimus, plurimum faciunt ad definiendum, quae, ex Platonis sententia, sit illa rerum qualitas, qua jucundi, sed etiam boni utilesque animi motus per visum et auditum efficiantur.

Ait enim philosophus, in animalibus seu vivis seu pictis esse mere *relativam* pulchritudinem, i. e., ea tum pulchra tum quoque turpia et deformia appellari posse, prouti conferantur cum aliis rebus, quae majorem minoremve gradum pulchri habeant. In figuris mathematicis vero, in lineis rectis et circulis, planis ac solidis verum pulchrum deprehendi posse. Eodem prorsus modo porro agitur de pulchro in re musica (2):

„ Dico itaque sonos lenes et claros, qui cantum unum quendam purum praebeant, non qua- „ tenus ad aliud quid referantur (non relative), sed ipsos per se pulchros esse, et hos sequi „ cognatas propriasque voluptates."

Simul additur causa, cur voluptates, quae per hos sensus percipiantur, prae caeterorum sensuum affectionibus pulchri nomine insigniendae sint, nam pergit:

„ Genus voluptatum, quod ad olfactum refertur, minus *divinum* esse dico quam hocce" — quibus verbis vix aliud quid significari potest, quam caeteros sensus, imprimis olfactum et gustatum

(1) Plures e recentioribus tamen in hoc pulchri principio substiterunt, Eschenburg, v. c., Eberhard, Sulzer, Mendelssohn, imo omnes fere ante Kantium philosophi, ita pulchrum confundentes cum utili, quibus sese opposuerunt quum Moritz, tum imprimis Lessing: vid. Zimmermann, Gesch. d. Aesth. p. 186, 188 sqq. Nec est quod hoc loco silentio praeteream sententiam acutissimi critici Britanni Homii, censentis pulchrum proprie nisi de oculorum perceptionibus dici posse; quod autem ad auditum et caeteros sensus pertineat, in iis potius obtingere gratum jucundumque. At nemo magis pulchrum retulit ad solam voluptatem corpoream quam item Britannus Burkius in opere: a philosophical inquiry into the origin of our ideas of the sublime and beautiful. Verum ea confusio pulchri cum utili, quae apud omnes fere philosophos ante Kantium occurrit, ab eo quum in caeteris philosophiae partibus tum in aesthetica quoque summo reformatore, prorsus sublata est, statuenti omnem utilitatis vel proprii commodi cogitationem sejungendam esse ab ea perceptione, qua pulchrum placeat. (Krit. d. Urth. kr. § 6). Nec in hoc saltem placito, si Herderum excipias, multos adversarios habuit.

(2) p. 51. D.

arctius conjunctos esse cum vita animali et proxime id spectare, ut corporis necessitatibus satisfiat.

Pluris autem nostra interest vidisse, quale sit tandem illud verum pulchrum, quod in figuris mathematicis, in coloribus et sonis quoque multo clarius quam in rebus vulgaribus, nec relative appareat.

Pergit itaque Socrates interrogare:

„Utrum id, quod purum est ac sincerum, an id, quod vehemens et multum et „magnum et satis amplum, dicendum est ad veritatem conferre? — Protarchus. Quo consilio „hoc rogas? — Socr. Nihil in disceptatione de voluptate et scientia praetermittere vellem; „si quidem in utroque eorum portio quaedam pura, quaedam impura est, ut utrumque purum „in judicium veniat et mihi, tibi et omnibus hisce se expeditius ad judicandum praebeat. Prot. „Rectissime. Socr. Agedum, de omnibus, quae pura sunt, generibus statuamus sic: eligamus „primum eorum unum aliquod, idque exploremus. Prot. Quid igitur eligemus? Socr. Album „genus, si vis, primo exploremus. Prot. Volo equidem. Socr. Quomodo et qualis puritas „albi nobis erit? Utrum (id purissimum est), quod est maximum et plurimum, an id, quod „maxime impermistum, cui particula nulla alius coloris inest? Prot. Constat; id quod maxi„me sincerum est. Socr. Recte. Nonne igitur hoc verissimum et simul pulcher„rimum alborum omnium ponemus, non vero id, quod plurimum, neque quod „maximum est? Prot. Rectissime. Socr. Si ergo, quod parvum parumque album „est, admixto multo albo, albius simul et pulchrius et verius esse di„camus, recte penitus asseremus? Prot. Rectissime certe. Socr. Quid igitur? „Profecto non multis ejusmodi exemplis egebimus ad sententiam nostram de voluptate, sed „sufficit nobis hinc nosse, omne jucundum et gratum parvum et parum, si purum est, „gratius et verius et pulchrius esse magno, cui multum doloris adjunctum sit."

Pulchrum igitur, quod in rebus vulgaribus, sensibus subjectis, invenitur quidem, sed numquam purum, quod auditum visumque voluptate afficit, *cui tamen dolor oppositus est*, — illud pulchrum purius sinceriusque inest in figuris mathematicis, in coloribus, non quatenus in corporibus sint, sed absolute per se spectatis, atque in his rebus praebet voluptatem, *cui dolor nullus permistus aut oppositus est.*

At hic minine subsistendum, sed inquirendum, quae sit porro causa cur illa voluptas, quam e figuris mathematicis percipiamus, sit jucundissima ideoque pulcherrima. Et sunt (1) imprimis modus et congruentia (μετριότης καὶ ξυμμετρία), quae, ut in animo virtutem pariunt, ita quoque visui audituique voluptates puras praebent. Hasce vero qualitates minime idem esse ac pulchrum, e sequentibus satis superque apparet (2), ubi ἡ ξυμμετρία *juxta* pulchrum

---

(1) p. 64. E.

(2) Idem verissime quoque monuit Creuzer ad Plot. de pulchro, p. 147.

et verum memoretur et tria haec separatim dijudicentur, quatenus valeant ad voluptates corporis aut mentis efficiendas. Quare statuendum erit, Platonis sententiam hanc fuisse, non posse mensurae et congruentiae pulchrum expers esse, at minime his notionibus contineri. Fatendum igitur nos hoc invento nihil ultra profecisse ad pulchri naturam indagandam, nisi hoc, quod jam sciamus, ut pulchrum arctissime cum vero bonoque conjunctum sit, ita quoque mensura et congruentia carere non posse. Videamus autem annon alia via de rebus mathematicis disquirentibus melius nobis pateat, cur in his pulchrum potius contineatur quam in rebus mutabilibus corporeisque.

Scimus etenim in philosophia Platonica figuras mathematicas earumque disciplinam medium occupare locum inter res mutabiles terrestres et ideas. Per has enim, ut est in libro VII, p. 521 C. de Republica, juvenum animi proxime informantur ad considerationem idearum summique boni, praeparanturque ad scientiam, quae longissime abstracta est a rebus adspectabilibus.

Quum igitur pulchrum jam purius adsit in mathematicis, non dubium est, quin multo purius, imo quin verum pulchrum adsit in ideis ipsis. Ibi enim inveniemus quum caeteras ideas tum et ideam pulchri, quae quo magis sese manifestaverit in aliis rebus, eo has nomine pulchri digniores praestabit. Hic quoque causam habes, cur Plato semper notioni pulchri addiderit eam boni; dixerat enim pulchrum esse quod voluptatem praeberet auditui visuique, adjuncta vero notione utilitatis seu boni. Nempe ideae purae non inter se separatae sunt; idea pulchri non potest esse mala; item idea boni non erit deformis, sed quidquid in ideis est pulchrum, simul verum bonum esse oportebit. Hinc Plato loquitur de pulchro in legibus, institutis, moribus, in cujus locum nos potius notionem boni substitueremus, quippe quibus pulchrum magis in forma quam in effectu positum sit.

Quare Aristoteles, constans ut est idearum doctrinae vituperator, non immerito dixit, vocem pulchri, si ad ejusmodi res, ut mores, instituta, leges transferatur, aequivocam sive *ὁμώνυμον* esse; qua in re tamen observandus est usus loquendi Graecorum, qui hoc vocabulo aeque complecterentur pulchrum, quod in corporibus cernitur, ac honestum, quod in vita publica privataque et in animis conspicuum est. Nos autem hoc loco imprimis seu potius unice agere de pulchro in corporibus, nemo est paulo de quaestionis ambitu cegitans qui vituperet.

Est igitur pulchrum, quod obscurum in rebus corporeis, purum vero in mathematicis et qualitatibus absolute per se positis conspicitur, idea ipsa pulchri. Quo magis haec idea in re aliqua apparet, eo magis res illa pulchra dicenda est.

Restat, ut describamus, quae et qualis itaque sit illa idea pulchri, qua scientia muniti semper nec dubitantes neque umquam errantes indicare possimus, quae res sint pulchrae, quae contra turpes.

At nec Plato ipse responsum paratum habebit. Etenim philosophia Platonica, quamquam tota nititur doctrina de ideis, tamen interiorem de iis cognitionem comparari posse negat, quamdiu saltem mortali terrestrique corpore induti simus.

Longum est doctrinam de ideis deque amore hoc loco pertractare neque necessarium cuivis vel parumper cognitione antiquitatis imbuto. Dialogi Phaedrus et Symposion imprimis, Phaedon

quoque, libri de Republica et Timaeus, quum de idea pulchri tum de amore multa tractant. Cujus philosophiae summa haec est.

In anteriore vita, eximia cum diis beatitudine fruentes, adspeximus ideas, quarum summae sunt pulchri, veri, boni. E felicissimo illo spectaculo detrusi in hanc terram corpus mortale, quod tamquam carcer animi est, induimus. Corpus hocce in culpa est, ut, lumine animi fere exstincto, sensuum modo ope res mutabiles, semper falsa veri specie nos in errorem ducentes, adspiciamus, nusquam quid verum sit percipere possimus. Mens, his ambagibus impedita, saepe etiam a vero aliena, debilem admodum reminiscentiam illarum, inter quas antea versata est, idearum retinuit. Amor est, qui hanc memoriam resuscitat. Hoc summum vitae munus, animum avellere a rebus terrestribus eumque ita evehere, ut parvae memoriae scintillae, quas in hanc vitam adduximus, iterum exardescant, quo facto praeparabimur ad vitam divinam idearumque intuitionis participem.

Quum tamen totus mundus creatus sit ad exemplum idearum, harum cognitio unicus fons est, quo de majore minoreve virtute rerum omnium judicare possimus. Quatenus caeteroquin res terrestres fideles an prorsus corruptae imagines idearum sint, quatenus ex illis liceat de his nobis opinionem informare, deus solus dijudicare potest. Hic enim in materia ideas effinxit, quod quamquam pro viribus quam accuratissime et perfectissime poterat fecit, defectus et natura repugnans materiae eum impedivit, quominus fidelem mundi idearum imaginem in materia terrena repraesentaret.

Nos memoria ex vita illa antecedenti divina adjuti unice sentimus, idque fere sine conscientia nostri, res terrestres longe a perfecto distare. Res inter se simillimas videntes, tamen animadvertimus inter eas discrimen, quamvis numquam perfectam similitudinem adspexerimus, eamque prorsus ignoraremus, nisi memoria nos doceret, similitudinem perfectam exsistere, quae tamen qualis sit non amplius describere vel cogitare valemus. Idem dicendum de aliis rebus, de pulchris v. c. Licet veri pulchri notionem amiserimus, tamen recordatio ejus eatenus renovatur rebus pulchris ob oculos versantibus, ut eas ad illam veri pulchri ideam dijudicemus, et quasi animo metiamur, quantum a perfecto pulchro absint. Haeret igitur in animis obscura veri pulchri reminiscentia; id vero describere divinae non humanae sapientiae est. Hoc unice constat, res, quas pulchras dicamus, participatione illius veri pulchri amabilem gratamque formam induere, pulchras et ipsas fieri.

Neque illud verum pulchrum sejungi potest ab ideis veri et boni, quippe quum in mundo idearum summus consensus, nulla repugnantia adsit. Ideo et pulchrum terrestre ad illius normam effictum neque bono carebit, erit semper utile (ὠφέλιμον).

Quum vero inter ideas, cum summa congruentia et harmonia, tamen maxima perfectissimaque varietas obtineat, ideae pulchri, veri, boni plane a se distinctae erunt. Omnes unum perfectissimum alio adspectu absolvunt: si bonum respicit ad perfectissimos effectus, ad summam utilitatem, verum ad existentiam immutabilem et constantem, pulchrum referendum est ad formam,

qua unum absolutum seu deus ipse summum sui amorem excitet et adspectu formae suae perfectae nos sancta summaque voluptate perfundat. Hinc fit, ut formae pulchrae terrestres, illius pulchri caelestis imagines, amorem moveant, visum auditumque, sensus, quibus inter facultates animi phantasia alitur, voluptate, grato jucundoque sensu afficiant. Et quod attinet ad artificem, pictorem, statuarium, architectum, et horum, sicut pulchri ipsius, duplex genus est, pro uti operibus artis suae effingant ideas rerum, verum coelesteque pulchrum animis ipsorum ex antecedenti vita inhaerens, aut solummodo res terrestres, vulgares, mutabiles ante oculos habeant, easque arte sua quam accuratissime imitari conentur. Artificem hujus pulchri in mundo adspectabili imitatorem tangit reprehensio, qua Plato in libris de Rep. invehitur in varias artes, docens id esse scopum pictoris et statuarii, ut praebeat falsam vanamque speciem rerum ad oculos spectatoris fallendos et captandos. Tunc, si artes liberales ita exercentur, poesis et musica occupant infimum gradum, quippe quae ne mundum adspectabilem quidem, sed saepe falsas illas ejus imagines decantare et vocibus repraesentare soleant.

Hanc vero non fuisse eximii philosophi de vera poesi sententia satis patet quum ex universa ejus philosophiae indole tum imprimis e loco classico Phaedri, quo verus poeta his laudibus extollitur: Τρίτη δ᾽ἀπὸ μουσῶν κατακωχή τε καὶ μανία λαβοῦσα ἁπαλὴν καὶ ἄβατον ψυχὴν ἐγείρουσα καὶ ἐκβακχεύουσα κατά τε ᾠδὰς καὶ κατὰ τὴν ἄλλην ποίησιν μυρία τῶν παλαιῶν ἔργα κοσμοῦσα τοὺς ἐπιγιγνομένους παιδεύει. ὃς δ᾽ἂν ἄνευ μανίας Μουσῶν ἐπὶ ποιητικὰς θύρας ἀφίκηται, πεισθεὶς ὡς ἄρα ἐκ τέχνης ἱκανὸς ποιητὴς ἐσόμενος, ἀτελὴς αὐτός τε καὶ ἡ ποίησις ὑπὸ τῆς τῶν μαινομένων ἡ τοῦ σωφρονοῦντος ἠφανίσθη. Est nempe talis artifex imitator ideae veri pulchri, cujus ingenium egregie expressit Cicero, ubi de Phidia ita dicit (Orat. 2. 3.): „Sed ipsius in mente insidebat species pulchritudinis eximia „quaedam, quam intuens in eaque defixus, ad illius similitudinem artem et manum dirigebat." Hinc Plato in enumeratione vitarum in eodem dialogo Phaedro (p. 248 D.) primum dignitatis locum adsignat τῷ μουσικῷ, sextum demum τῷ ποιητικῷ ἢ τῶν περὶ μιμησίν τινι ἄλλῳ. Sunt nempe illi, quos in libr. de Rep. tangit *opifices*, hi vero, quos in Phaedro summis laudibus extollit, *artifices*.

Ni fallor, Platonis sententia de pulchro huc redit:

Est pulchrum bifarium, pulchrum vere ita dictum seu idea pulchri, et pulchrum in rebus adspectabilibus.

Prius pulchrum ab intellectu humano percipi nequit, est tamen arctissime conjunctum cum vero bonoque, cujus tamquam forma externa est.

Alterum pulchri genus est hujus imago, at ea admodum depravata. Conspicitur in rebus auditui visuique objectis, illosque sensus voluptate afficit. Quum autem verum pulchrum sine bono cogitari nequeat, neque hoc quamvis imperfectum pulchrum carebit utilitate, quae item est imago veri boni.

Ea voluptas visus auditusque purissima percipitur in adspectandis figuris mathematicis, immixtis coloribus, in audiendis puris sonis, quippe cui voluptati nullus dolor seu ingratus sensus oppositus vel admixtus sit. En itaque genus pulchri proxime ad verum pulchrum accedens.

Vidimus itaque, ubi verum pulchrum quaerendum sit, qualis ejus natura sit nondum invenimus, sed *καθάπερ εἴ τις τινα ἄνθρωπον ζητῶν τὴν οἴκησιν πρῶτον ὀρθῶς, ἵν' οἰκεῖ, πύθοιτ' αὐτοῦ, μέγα τι δήπου πρὸς τὴν εὕρεσιν ἂν ἔχοι τοῦ ζητουμένου* (Phil. p. 61 B).

Jam praecipuum meritum philosophiae Novae-platonicae in eo situm est, ut quum naturam idearum et materiae accuratius describere, tum vinculum, quo ideae cum materia conjunctae sint et modum, quo mundus adspectabilis ad instar illius idealis creatus sit explanare conetur. Nempe apud Platonem haec omnia ita imaginibus e mythis desumtis, tot, ut ita dicam, allegoriis poeticis involuta sunt, ut certa ac philosophica de istiusmodi rebus doctrina nullo modo inde delibari possit.

Quod minime fugit Aristotelem, non illum reprehensorem ac derisorem, sed acutissimum criticum philosophiae platonicae. Transtulit et hic ideas in res adspectabiles ipsas. Quum enim apud Platonem mundus idearum longe a mundo adspectabili remotus humano oculo percipi non possit, Stagirita ex ideis fecit unam illarum quatuor essentiarum, e quibus res omnes compositae sint. Sunt haec principia seu essentiae, quae philosophus methodo analytica in omnibus rebus deprehendit, ut satis notum est, materia seu principium materiale (ὕλη), e qua res composita est; altero loco principium formale seu complexus omnium qualitatum specificarum; tertio principium causae moventis; quarto illud causae finalis. Horum principiorum id, quod ordine secundo diximus, eundem locum occupat ac ideae platonicae. Attamen magnum discrimen interest. Nam praeterquam quod ideae platonicae a rebus semotae in alio mundo pro sese existunt, dum principium formale Aristotelis in rebus ipsis adest iisque eas qualitates impertit, quas essentiales dicimus sive eas, quo individuum est tamquam exemplar seu repraesentator hujus illiusve generis rerum, praecipuum discrimen est, quod ideae platonicae sunt res revera existentes, principium formale Aristotelis vero mera cogatio, quam mens nostra sibi informet rebus sensibilibus adspiciendis accurateque investigando, quaenam earum qualitates sint: quae earum modo ad aliquid individuum a caeteris ejusdem speciei distinguendum pertineant, quae vulgo dicuntur accidentales; quae contra necessariae sint ad speciem ipsam determinandam. Quo fit, ut, quum ideae sint exemplaria ad quorum normam opifex res mundi vitiose finxerit, plane eadem ratione, qua ii, qui v. c. picturam docentur, exempla a magistro ante oculos posita imitantur, pulcherrimum in quocumque rerum genere et specie in iis quaerendum sit; at idem non ita sponte patet ex Aristotelis principio formali. Hoc enim petitum est e rerum natura ipsa ac nullas continet nisi eas formas, quas res adspectabiles ipsae praebeant, nec in eo principio constituendo de pulchro an non pulchro cogitatur. Ponitur tantummodo eo consilio, ut res, quae sensuum ope percipiuntur, apte describantur in classes, genera, species, utque e tali divisione rerum natura penitius cognoscatur. At vel sic tamen nullum dubium est, quin Aristoteles summum pulchri principium posuerit in his ipsis qualitatibus speciei, eo sensu, ut id demum pulchrum sit, quod has ipsas qualitates quam perfectissimas prae se ferat. Quales perfectae effigies speciei quum in singulis rebus vix occurrant, artificis consilium eo constabit, ut in uno simulacro notas totius speciei planius ac perfectius exprimat, quam

eas in rebus individuis natura effingere solet. Unde efficitur artis opificia, pulchri ratione habita, non repraesentare res, quales revera exsistant, sed quales accurata naturae investigatio doceat eas esse potuisse.

At non habemus Aristotelis ipsius de pulchro sententiam; conjicimus modo, eam hanc fuisse ex iis, quae ex universa ejus philosophandi ratione et e praeceptis, quae in libro de arte poetica tradit, efficere liceat (1).

Nec multum nostrum consilium spectat, quaenam fuerit Stagiritae de pulchro sententia; hoc sufficit eum de philosophia Platonica hac re imprimis bene meritum esse, quod ideas e coelo in mundum adspectabilem deducere conatus sit.

Quum autem hoc conatu idearum dignitatem ita minuerit, ut, aeterna immutabilique earum exsistentia, tamquam rerum longe perfectissimarum, sublata, substituerit meras abstractiones desumtas ex hac imperfecta rerum natura, Novi-Platonici, qui aeque studiose Aristotelis ac Platonis scripta legerant, id efficere studuerunt, ideas Platonicas arctissimo vinculo, quod Aristoteles voluisset, cum rebus sensibilibus conjungi, et vel sic tamen dignitatem ac divinam naturam, qua Plato eas extulisset, iis vindicari posse.

Huc spectat omnis Plotini philosophia, principis hujus scholae antistitis. Cujus autem de pulchro sententia, quum neutiquam intelligi queat, nisi universa ejus philosophiae indole perspecta, age, celeberrimam illam disciplinam ad pauca placita redigere conemur, quod tamen in tam implicita philosophandi ratione, qualem Neo-Platonici habuerint, difficillimum esse, quo magis quis Plotinum ipsum lectitaverit, eo melius perspiciet.

Nam vix est quod, disquisitione de pulchro proposita, attendamus ad placita Stoicorum, Epicureorum, Academicorum, Scepticorum; quippe quorum scholae totae in quaestione de summo bono seu de rebus ad mores spectantibus occupatae, param sive potius nullam operam dederint rebus aestheticis. Imo pulchrum investigare maluerunt in moribus hominum ac publicis institutis quam in rebus, quae visu audituque percipiuntur, cujus rationis, qua pulchrum necessario cum bono confundatur, quum vulgare Graecorum loquendi genus tum imprimis Socraticam philosophandi rationem ac praecipuorum ejus discipulorum Xenophontis et Platonis ansam dedisse, supra (p. 12) jam monuimus.

A Plotino (2) igitur quum ideis tum materiae suus utrique indicatur locus, quem occupat in universo rerum humanarum ac divinarum. At summum principium, e quo omnia pendent, est deus, qui identidem *τὸ* unum et bonum appellatur, quia omnia, quae ex eo oriuntur, bona sunt. Caeteroquin Plotinus negat deum huncce cognosci posse: nullum de eo praedicatum valet, cujus

(1) Nam pulchrum ex Aristotelis sententia non contineri *τῇ συμμετρίᾳ* sponte liquet reputantibus hanc modo adnumerari iis notis (*εἴδεσι*), quibus pulchrum efficiatur; cf. impr. Creuz. ad Plot. de Pulchr., p. 147.

(2) Scio equidem rationem, qua Plotini placita tradam, nonnullis locis valde discrepare a ratione, quam scriptores de historia philisophiae secutos esse videam, nescio quam philosophorum Germanorum e recentioribus temporibus cogitandi rationem antiquis illis philosophis obtrudentes.

essentia ab humano intellectu non percipi queat; nec, etiamsi non supra captum mentis nostrae esset, voces linguae humanae sufficerent ad ejus naturam et qualitates significandas. Deus igitur ignotus est et semper erit. Hoc unice scimus, omnia ex eo originem ducere. Et, quod in tota hac philosophandi ratione tenendum, progeneratio neque apud deum ipsum neque apud caeteras, quas deinceps enumerabimus naturas, actus spontaneus seu voluntarius est. Deus semper omnia ex sese effundit, sed minime sponte, nam, quum nullae qualitates ei attribui possint, ne habet quidem conscientiam sui. Procreat enim fere eodem modo, quo sol emittit radios luminis. Semper sol lucet et totam sphaeram coelestem lumine suo complet, neque unquam vis ea, qua omnia foventur et illustrantur, minuitur seu debilitatur. Ita et deus. Totum universum rerum, tamquam fluenta luminis, ex aeterno e natura sua emisit ac numquam emittere desinet, quo facto tamen ipse nec fatigatur nec debilitatur; nam haec effusio est insita vis naturae ejus, ut vis ignis, qua sine cogitari nequit, est calefaciendi ac lucendi; quin si deus desinat ita agere, contra naturam suam ei agendum sit, quod quum ea natura perfecta ac immutabilis sit, fieri nullo modo potest.

En celiberrimam illam Alexandrinorum philosophorum doctrinam de emanatione, qua efficitur 1° omnia originem suam ducere et perpetuo ductura esse ex uno summo principio, et 2° omnia in rerum universo non solum arctissimo vinculo inter se conjuncta, verum omnia esse unum, nempe deum ipsum, eadem ratione, qua lux una eademque dici mereatur ac sol, e quo originem ducat.

Porro emanatio hoc sibi proprium habet, ut non deus ipse, nulla re interposita, omnia aeque summa ac infima procreet. Est haec enim lex, cui omnes naturae subjectae sunt, ut nulla res adsit, quin et ipsa pro viribus suis emanationis participet et alias naturas sui simillimas, sed semper inferioris dignitatis compotes profundat. Fit emanatio constanter per gradus, quorum alter alterius causa est. Itaque deus, quamvis omnium rerum auctor et pater, nihil e natura sua immediate profundit nisi *unitates.* Quae quales sint, aeque minus percipi potest ac natura unius seu dei ipsius. Attamen primus hicce gradus effluviorum e deo in systemate deesse nequit. Ejus enim ope solvitur difficillima haec quaestio, quomodo, quum id, quod ab aliqua natura procreatur, ejus quam simillima, licet paulo infirmior, esse debeat, e natura divina, quae est una, imo unum ipsum, derivari possit hicce mundus, in quo unum vix invenias, sed omnia ex innumeris partibus composita, numquam sibi constantia, mox alia videntur ac brevi ante erant. Est igitur haec immutabilis lex, ut ab uno nil duci possit nisi quod et ipsum sit unum. Nihil autem impedit, quominus unum plura in lucem edat, modo et haec non alius naturae sint ac genitor. Quo tamen, nihilo novi addito naturae divinae, via aperitur, qua multiplices et variegatae rerum formae ab ipsa deriventur; nam in unitatibus illis habemus naturas, quae revera sunt unae at eaedem tamen multiplices.

Ex unitatibus his, quibus unum bonum sive deus quasi multiplicatur, oritur nova proles. Est hic, qui a philosophis Graecis dicitur *νοῦς*, et est revera regio seu *locus idearum.* Lex immutabilis emanationum docuit, oportere, ut generatum simile sit auctori, licet debilius ac paulo minus dignitate. Erit igitur *νοῦς* consimilis unitatibus, at paulo magis inquinatus eo vitio, quo unitates jam

inferiorem gradum occupabant quam unum bonum, et quo omnes posteriores gradus emanationum, de quibus deinceps videbimus, ita corrumpuntur, ut tandem in infinitum usque divisi, omni vi vitali amissa, in nihilum desinant. Estque hoc vitium illud, quod videbamus in unitates a philosopho introduci, ut nempe ex uno plura fiant eaque tandem ita diversa et pugnantia inter se, ut imago perfecti ac unici omnium rerum auctoris in iis vix agnosci possit.

Est igitur *νοῦς* seu locus idearum, ut auctor suus, perfectus quidem ac unus, attamen simul pluriformis. In singulis ideis omnes reliquae continentur quidem, nec tamen sunt eaedem. In idea pulchri, v. c., continetur quoque verum et bonum, at distincta tamen est ab idea boni atque ab idea veri. Quaecumque ex ideis est igitur et ipsa *νοῦς*, sed *νοῦς*, in quo haec illave qualitas ita excellat, ut revera alius sit ac caeteri *νόες*.

En igitur naturam idearum. Ut emanatio illa prima unitatum a Plotino eo consilio introducta erat, ut ex uno plura *numero* distincta orirentur, ita in ideis primo patefit discrimen qualitatum vel, si ita dicere licet, pluralitas qualitativa hinc rerum naturae advenit. Quod omnino necessarium est, siquidem philosophus demonstrare vellet, omnia pendere e summo principio. Ne obliviscamur enim in deo nullas prorsus qualitates esse. Appellatur quidem bonum ac unum, sed revera neque bonus neque unus est. Unum aliquid dicitur, quod e multitudine excipimus, quod igitur multitudini oppositum est. At summo principio, quum omnia contineat, nihil est quod opponi possit. Porro bonum dicimus, quod oppositum est malo. At quum praeter deum nihil sit, neque comparatio ejus naturae cum aliis naturis institui potest. Quibus efficitur, id, quod nihil juxta se habeat, nec unum nec bonum dici posse. Imo ne habet deus quidem conscientiam sui. Nam quid de se ipso noverit is, qui nullas prorsus qualitates habeat?

Continent igitur ideae, nam lucro apponendum est quicquid accuratius de earum natura a Platone relicta discimus, *qualitates rerum*, easque, quatenus absque materia cogitentur. Absentia materiae porro efficit, ut ideae nullum locum proprie ita dictum vel spatium compleant nec temporis distantia a se invicem disjunctae sint, ita ut in mundo idearum jure dici possit, omnia una ac semper esse.

Pervenimus jam ad novam emanationem ex intellectu (*νοῦ*), ut praecedentes, ei similem quidem at vero debiliorem ac non ita praestantem. Est animus (*ψυχή*). Est haec emanatio infra dignitatem duarum praecedentium ideo, quod novum factorem, ut ita dicam, suscipit, quo unitas summi principii magis etiam divellitur et propius accedit ad naturam infinitam, numquam sibi constantem, materiae. Est hic novus factor tempus. Nimirum quum in regione idearum omnia simul ac una sint, haec nova animi emanatio ita debilis est, ut, quae ibi non disjuncta erant, prorsus segreget ac unum post alterum ponat. En originem temporis: est nempe successio idearum, quas animus non ita suscipere valet, quales revera sunt, sed divellit atque ita corrumpit.

Huc pertinet quoque spatii notio, quae, quum in mundo idearum nulla esset, hic, ideis divulsis ac distinctis, necessaria fit. Qua in re Plotinus noster quasi animo vaticinatus est, quae reformator philosophiae, Kantius, multa saecula post de natura plane subjectiva temporis ac

spatii docuit. Continet igitur animus eadem, quae νοῦς, at quae hic fuerant ideae, naturae perfectae, quibus, impedimentis temporis ac spatii sublatis, nil deerat, quaeque immutabiles omnes qualitates generum ac specierum simul continebant, earum locum illic occupant ratiocinationes (λόγοι, λογισμοί), quibus, aeque ac in ideis, verum continetur quidem, at non statim apparet et nisi post longam disquisitionem aegre tandem inveniri potest. Suntque ex hoc genere quum animus mundi ac terrae, tum quoque animi nostri, et omnium animantium; quo fit, ut animus apud Plotinum idem fere sit ac δημιουργὸς ille Platonicus. Animus igitur in infinitum usque essentiam suam diffundens efficit innumeras illas naturas temporis ac spatii terminis distinctas, quarum et ipsi pars sumus. Transfert qualitates idearum in regiones inferiores, sed non amplius puras ac integras, sed ipsa illa diffusione corruptas ac debiles factas. Ita, ut hoc exemplo utar, in intellectu seu νῷ erat idea pulchri; haec autem ab animo ita tempore et spatio divellitur, ut non amplius una maneat, sed in variis rebus, numero infinitis, interdum longa temporis successione separatis, appareat quidem, sed ita depravata ac vitiata, ut interdum difficile sit vel vestigia pulchri agnoscere in iis rebus, quibus pulchri nomen tribuimus.

Per omne genus animantium, in quo ideae sibi induunt illas spatio et tempore distractas formas, quae in rerum natura nobis obviam fiunt, descendimus tandem ad extremam et ultimam emanationem ex uno sive deo, nimirum ad materiam. Ut natura dei describi non poterat, quia nullam earum qualitatum, quarum nos notionem contraximus, ei attribuere liceret, ita haecce ultima quoque omnium emanationum definiri nequit, non quod supra captum humanum sit, sed quia omnibus omnino qualitatibus caret. Etenim virtus summi principii per varia effluvia, longius longiusque a centro remota, sensim efficaciam suam perdidit; in hoc mundo adspectabili, sive in regione animi jam ita debilem sese ostendit, ut vix ideae, nedum unitas, quae est fons omnium, agnosci possit. Est tandem regio, in quam ne vestigia quidem dei penetrent. Ut lumen solis terrae regiones sibi proximas luce ac calore suo perfundit, at tractus longissime remotos vix illustrat inque iis tandem prae frigore nullum animalium vel plantarum genus vitam sustentat, donec sensim obscuritas ultima luminis effluvia excipit, ita quoque locus est, quo nulla omnino qualitas, nullum vestigium idearum penetret. Istaec est natura materiae. Si de ea, cujus natura igitur plane negativa est, aliquid affirmari liceret, fortasse dicendum erit, eam, oppositam deo, principium ac causam esse hujus vitii, quo ideae distrahantur ac sensim efficacitatem suam ita amittant, ut aegre agnosci possint, verbo, eam esse principium *pluralitatis*, sicut deum fontem unitatis. Seu potius dicendum, ita videri posse, ex omnibus, quibus materia immixta sit, unitatem effugere, nam revera unum tantum principium esse, e quo omnia pendeant, et materiam, quippe in ultimis terminis luminis divini positam, nullam prorsus vim, qua aliquid efficiat, habere posse.

Animantia igitur partim in regione animi, partim in ea materiae posita sunt. Quod attinet ad ipsorum corpora, quae nullas omnino qualitates haberent et mox dilaberentur, nisi animus iis vitam et motus impertiret, ad materiem pertinent. Animus vero, quum sese inmiscuit materiae

et cujus infimus efficaciae gradus est quae vulgo dicitur vis vitalis, inerti huicce materiae, ope temporis ac spatii, eam idearum speciem impertit, cui ipsa apta sit et quatenus virtutem summi principii in se admittat. Ast tandem et hunc ultimum idearum splendorem excipiunt merae tenebrae, pura materia, quae nihil est ideoque nec sensibus nec cogitando percipi potest.

Haec est lex et norma universi inde a deo usque ad inertem et inanem materiam, in quo tamen singularem locum occupat homo. Quum enim hic corpore suo, aeque ac caetera animantia, materiae participet et in eo quoque animus sit, quo illa moveatur, tamen id sibi proprium habet, ut etiam ad intellectum (νοῦν) adscendat, imo fortasse ad deum ipsum. Vivimus itaque in materia, sed summis ingenii nostri facultatibus vitam etiam intellectualem vivere possumus. Brutorum vero vitam illi coelesti praeferentes mox non amplius altarum harum virium conscii sumus. Tunc νοῦς noster, quippe nostra ipsorum culpa depulsus et ab omnibus animi functionibus amotus, per se vitam beatam agit in eo mundo idearum, cujus ipse pars, quae propria ejus sedes est, ibique vice fungitur genii tutelaris ejus animi ac corporis, optimae sui partis ita plane obliti.

Est haec porro apud Neoplatonicos constans lex, ut nulla res agnosci possit, nisi a natura ei simili. Sic νοῦς modo intellectui ipsi, animus animo, imo deus deo ipsi notus est. Omnia igitur animantia sensibus percipiunt naturam animatam sive materiam animo motam, quippe quae et ipsa animo et corpore constent. At homo hanc egregiam facultatem habet, ut praeter mundum adspectabilem etiam ad intuitionem idearum adscendere possit, quum et ipse intellectus pars sit. At quamquam facere licet, tamen labor gravissimus est, ita vitam terrestrem relinquere, aut ei saltem ita minores partes tribuere, ut νοῦς satis liberetur ad virtutem suam exercendam. Estque hoc celeberrimum Neoplatonicorum placitum de ἀνακστρόφῃ, jam a Platone propositum in mythis de adscensu animorum in coelum comitatu deorum et de sapiente descendente ad vinctos in speluncam.

Jam redeamus ad quaestionem de pulchro, quam Platonis de eo sententia enarrata reliquimus; et primo loco videamus, ubinam pulchrum in variis emanationibus lateat.

Et satis perspectum erit pulchrum non quaerendum esse in deo ipso, de quo nullae omnino qualitates praedicari possint, neque in prima emanatione unitatum, quae prorsus deo sive uni ipsi similes sint et quae unice huic rei inserviant, ut deus essentiam suam diffundat, ut se ipsum quasi multiplicem faciat. In secundo vero effluvio, in ideis, est, ut omnium qualitatum et formarum, ita quoque pulchri ipsius vera sedes. Et licet philosophus non neget hominis intellectum ideas quoque possidere, quippe qui et ipse universi intellectus pars sit, tamen, quia ideae modo per intuitionem immediatam percipi possunt, minime vero sinunt ut sua natura verbis describatur (nam omnes notiones pertinent ad inferiorem hominis facultatem, nempe ad animum, qui τοὺς λόγους continet et per eos verum invenire conatur) non multo longius progressi sumus quam quo apud Platonem perveneramus. Nec ita magno lucro apponendum erit, quod, quum hic ideas extra hominem posuisset, Plotinus intellectum nostrum illius universalis partem fecerit atque ideo ideas in nobismet ipsis collocaverit; nec contemplatio illa sui, qua sapiens in se ipso verum inveniat in nobilissima animi parte latens nos ultra promovet ac mythi illi Platonici,

quibus fingitur animus ante hanc vitam adspexisse ideas, quae mentem abstrahendo a rebus terrestribus in memoriam revocandae sint.

Ideae vero per tempus ac spatium ab animo deducuntur in materiam et cum ea junguntur, et ita idea quoque pulchri, quamvis dilacerata et contaminata, tamen sese offert perceptionibus animi ac sensuum, secundum immutabilem illam legem similes naturas a similibus percipi posse.

De hoc autem pulchro in materia obvio sensibusque nostris subjecto Plotinus agit in Enneadis primae libro sexto. Conatur in initio hujus libri indicare, quaenam sint indicia et vestigia veri illius pulchri in hoc tractu universi, cujus incolae et nos ipsi sumus.

Suscipit disputationem, ubi Plato eam reliquerat. „Pulchritudo, ait, est in visu (s. adspectu) „plurimum. Est etiam in auditu secundum verborum compositiones, est etiam in omni musica: „nam cantus et numerosi concentus pulchri sunt."

Aeque ac Plato confundit pulchrum cum bono, idque ex utriusque philosophandi ratione, qua ideae singulae singularum naturae participes sint neque ulla idea sine caeteris, quibuscum arctissime conjuncta sit, cogitari possit; nam ita pergit: „Praeterea, si a sensu ad id, quod „supra sensum est, adscendamus, inveniemus studia quoque et officia pulchra, et actiones, „et habitus atque scientias, virtutumque pulchritudinem. Utrum vero et super haec ulla sit „pulchritudo, res ipsa procedentibus declarabit." Significat nimirum pulchrum idearum. Jam incipit inquirere in causam pulchri: „Quid igitur est, quod efficit, ut corpora pulchra „videantur, atque auditus voces approbet, tamquam pulchras, et quaecunque deinceps ad animum „attinent, quonam igitur pacto pulchra haec omnia fiunt? Numquid una quadam atque eadem „re omnia sunt pulchra? Aut aliud quiddam est pulchritudo in corpore, in alio vero aliud? „Rursus quaenam sunt haec pulchra si plura sunt? Quidve, si modo unum pulchrum est? „Quaedam enim non ex ipsa subjectorum (*ὑποκειμένων*) natura sunt pulchra, velut corpora, sed „participatione alius cujusdam. Quaedam vero pulchritudines ipsae sunt, ut virtutis ipsius natura. „Corpora quidem eadem alias quidem pulchra, alias vero non pulchra videntur, ita ut aliud sit „corpus esse, aliud pulchrum esse. Quid ergo id est potissimum, quod pulchra corpora sua „praesentia facit? Imprimis enim id est nobis considerandum: quid sit, quod potissimum spec- „tantium alliciat oculos, convertatque ad seipsam atque rapiat, spectantemque delectet? Si enim „id invenerimus, forsan quasi scala ad caetera prospicienda uti poterimus."

Post hanc introductionem, qua Plotinus lectores suos ad Platonicam rationem revocavit, explicat atque refutat eam de pulchro opinionem, quae suo tempore imprimis valuisse et quam omnes fere probasse videntur.

„Tradunt enim ferme omnes commensurationem quandam partium et invicem et ad totum „una cum coloris gratia pulchritudinem pertinentem ad oculos procreare, atque in eo pulchri- „tudinem omnium esse sitam, ut moderata commensurataque sint (*ὡς συμμετρία τῶν μερῶν πρὸς* „*ἄλληλα καὶ πρὸς τὸ ὅλον, τό τε τῆς εὐχροίας προστεθὲν, τὸ πρὸς τὴν ὄψιν κάλλος ποιεῖ, καὶ ἔστιν αὐτοῖς* „*καὶ ὅλως τοῖς ἄλλοις πᾶσι τὸ κάλλος εἶναι τὸ συμμέτροις καὶ μεμετρημένοις ὑπάρχειν*)"

Videamus jam, quibus argumentis hanc satis vulgarem (1) de pulchro sententiam refutet:

1° „Sed apud eos, qui id opinantur, nihil simplex, solum vero compositum necessario „erit pulchrum, et totum (minime vero elementa, quibus constat) pulchrum erit. Partes vero „singulae nullam habebunt propriam pulchritudinem, sed, unice quatenus ad totum conferunt, „pulchra dicentur. Quamvis oporteat, si pulchrum est totum, partes quoque esse formosas; „non enim ex turpibus constat pulchrum; oportet enim partes omnes pulchritudinem accepisse. „Colores insuper pulchri, sicut et ipsum solis lumen, quum simplicia sint, neque ex commen„suratione habeant pulchritudinem, apud illos exclusa a pulchritudine relinquentur. Aurum „quoque quonam pacto illis erit pulchrum? Coruscatioque nocturna, siderumque spectaculum? „Similiter in vocibus, quod simplex fuerit, id erit a pulchritudine alienum; quamvis tonus „quilibet in his cantibus, qui ex toto pulchri sunt, sit ipse pulcher."

Primum igitur argumentum ex eo petitum est, quod res, in quibus nulla relatio ad alias obtinet, tamen merito pulchrae dicantur, veluti unus tonus non cum aliis in harmoniae vel melodiae concentum junctus, unum elementum, e. g., aurum, cujus singulae partes inter se aut cum toto ita similes sunt, ut neque in his comparatio institui possit, quaeque, nulla majoris minorisve quantitatis ratione habita, singulae pulchrae sint. Addere poterat figuras simplices mathematicas, quae item per se pulchrae sunt. At videamus jam de altero argumento:

2° „Proinde quando, eadem proportione manente, facies eadem alias quidem pulchra alias „vero non pulchra videtur: nonne aliud in eo, quod commensuratum est, pulchritudinem „oportet dicere, commensurationem vero aliud, ipsumque commensuratum propter aliud esse „pulchrum?"

Et hoc verum esse nemo infitias ibit, cogitans cum optima proportione faciei partium inter se et ad totum vultum, cum maxima coloris gratia, tamen id deesse posse, quo figura humana

---

(1) De hac pulchri definitione uberrime disputat Creuzerus ad ed. suam hujus Plotini de pulchritudine libri, p. 146 sqq., docens quum Platonem tum etiam Aristotelem ansam dare potuisse huic placito, quod Plotinus inter aequales suos satis vulgare fuisse dicit. Addit porro sententiam Plutarchi (de auditione, p. 45 C.; p. 171 Wyttenb.) Ὡς ἐν ἔργῳ δὲ παντὶ, τὸ μὲν καλὸν ἐκ πολλῶν οἷον ἀριθμῶν εἴς ἕνα καιρὸν ἡκόντων, ὑπὸ συμμετρίας τινὸς καὶ ἁρμονίας ἐπιτελεῖται: τὸ δ' αἰσχρὸν ἐξ ἑνὸς τοῦ τυχόντος ἐλλείποντος, ἢ προσόντος ἀτόπως εὐθὺς ἑτοίμην ἔχει τὴν γένεσιν. Laudat praeterea locum Galeni, in libro de Hippocr. et Plat. placit. lib. V, Cap. 3, p. 161 seq. ed. Charter, ubi imprimis mentio fit *canonis* Polycleti, quippe qui in eo libro accurate descripsisset proportiones inter singulas corporis partes, v. c. „digitorum inter se et eorum omnium ad palmam et juncturam manus, et harum ad cubitum, et cubiti ad „brachium, et omnium ad omnia," quibus idem Galenus tandem addit: τὸ μὲν δὴ κάλλος τοῦ σώματος ἐν τῇ τῶν μορίων συμμετρίᾳ κατὰ πάντας ἰατροὺς καὶ φιλοσόφους ἐστίν. Ex postremis hisce verbis merito efficitur, hanc imprimis Stoicorum fuisse sententiam, quos tamquam gravissimos suae philosophiae adversarios et h. l. Plotinus oppugnet. Nec discrepat Cicero (Tusc. IV, 13) ut plerumque Stoicos sequens: „Et ut corporis est quaedam apta „figura membrorum cum coloris quadam suavitate, ea quae dicitur pulchritudo: sic in animo, caet." Post quae testimonia non opus est, ut et Stobaei, Clementis Alex., Basilii magni, Gregorii Nyssen., Himerii, Augustini, aliorum verba citemus ad demonstrandum Plotinum hoc loco impugnasse placitum suo tempore satis vulgare.

revera pulchra fiat, nempe ea signa, quae sunt quasi indicia nobilis ingenii et liberaliter culti animi.

Quae porro eodem capite sequuntur argumenta, desumta sunt e pulchro in virtutibus et animo posito, qua demonstratione, quum pulchri natura e consuetudine Platonis, imo omnium fere Graecorum, cum bono confundatur, lectorem non defatigabimus.

Capite vero secundo iterum de pulchro in corporibus agit auctor:

„Repetamus igitur a principio, quaerentes quidnam sit ipsa in corporibus pulchritudo. „Principio est quiddam primo intuitu sensui se patefaciens: idque animus apprehendens „familiariterque agnoscens suscipit, et quasi accommodatissimum approbat et amplectitur." Quae verba nullam difficultatem habent, cogitantibus, nos, e Platonis sententia, ideam pulchri adspexisse, et secundum Plotinum, eam in animo nostro, quippe universi intellectus parte, latere.

„At vero in turpe incidens sese recipit, et velut abhorrens ob discordiam" (nempe cum idea nobis insita) „respuit ut alienum. Quum enim animus natura sua proxime accedat ad praestan- „tissimam essentiam in universo (ad νοῦν), quandocumque adspexerit cognatum quiddam cog- „natique vestigium, congratulatur et stupet, refertque in se ipsum, suique recordatur atque „suorum. Quaenam igitur similitudo his, quae apud nos pulchra, ad illa quae super nos sunt „pulchra? Etenim si qua similitudo est, similia quidem sunt. At quonam pacto pulchra „simul et haec et illa? *Participatione speciei (s. ideae) nostra haec dicimus esse pulchra*" (πῶς δὲ καλὰ κἀκεῖνα καὶ ταῦτα; μετοχῇ εἴδους φαμὲν ταῦτα).

Quum itaque philosophi sententia huc redeat, res corporeas, quo magis idea aliqua in iis eluceat, eo pulchriores esse, at vero minime perspectum habeamus, quales ideae sint, quaestio eadem remanet; quomodo igitur patet, vel quibus indiciis judicare possumus qualemcumque tandem ideam in hac re potius adesse quam in illa altera?

Respondet Plotinus: πᾶν γὰρ τὸ ἌΜΟΡΦΟΝ, πεφυκὸς ΜΟΡΦΗΝ καὶ ΕΙΔΟΣ δέχεσθαι, ἄμοιρον ὂν λόγου καὶ εἴδους, αἰσχρὸν καὶ ἔξω θείου λόγου. καὶ τὸ πάντη αἰσχρὸν τοῦτο.

Nolumus h. l. disputare de quaestione an vocem platonicam ἰδέαν recte interpretetur per μορφήν (1) quod et Cicero fecit in Oratore, cap. 3, vertens ἰδέας per *formas*. Nam, me judice, Plotinus ne significare quidem voluit, ideas easdem esse ac μορφὴν et εἶδος. Dicit nihil aliud praeter hoc. „Omne *informe* (cui non est *forma*), natura sua aptum ad *formam* ac *speciem* capiendam, „*turpe est*, atque a divina ratione semotum, quia non particeps est rationis et speciei," —

(1) Qui hujus rei plura scire cupit, is adeat Wyttenbachii ann. ad Plat. Phaedonem p. 275, qui hoc fere discrimen inter voces ἰδέαν, εἶδος et μορφὴν constituit: ἰδέαν esse vocem platonicam ad ideas proprie ita dictas, id est, naturam illam supramundanam significandam; εἶδος et μορφὴν contra (quamquam εἶδος Platoni saepe idem sit ac ἰδέα) magis pertinere ad res adspectabiles, ita ut de superficie sola usurpetur vox μορφή, de natura vero interiore corporum, superficie etiam inclusa, εἶδος.

quorum ultimorum verborum hic est sensus: *Quia ejusmodi res, formae expers, ideae quoque non particeps est.*

Est igitur Plotini sententia, praesentiam idearum in rebus corporeis indicari formis, seu potius, quod in mundo intellectuali ideas sint, id in mundo adspectabili formas esse, quod postea „ (cap. 3 init.) luce clarius ita exponit, rogans: „ Quonam pacto quod in corpore est, ei, quod „ super corpus est (*τῷ πρὸ τοῦ σώματος*, i. e. ideae) congruit? Et quomodo architectus „ accommodans domum externam ad ideam domus, quam in animo habet, judicat illam esse „ pulchram? — *Forsan quia, si lapides tollas e medio*, aedificium, quod erat extrinsecum, nihil „ aliud est, quam intrinseca idea, divisa quidem per externam materiae molem, individua vero „ exsistens, etsi apparet in multis (*ἢ ὅτι ἔστι τὸ ἔξω, εἰ χωρίσειας τοὺς λίθους, τὸ ἔνδον εἶδος, μερισθὲν* „ *τῷ ἔξω ὕλης ὄγκῳ, ἀμερὲς ὂν, ἐν πολλοῖς φανταζόμενον*)."

At liquet non omnes omnino ideas per formas indicari, ita idea boni, idea veri, aliae alia ratione in materia vim suam exprim़ent. Qua re vix opus esse videtur, ut moneamus, quod etiam ex exemplo ultimo loco allato patet, ideas eatenus modo per formas in rebus corporeis sese manifestare, quatenus ad externam speciem, i. e. ad eam qualitatem, qua pulchrae sint, referantur, quocum imprimis conferas locum in Platonis Phaedro, p. 250. D. ubi docet, inter ideas, quibuscum in vita anteriore versati simus, ideam pulchri solam adspectabilem formam habuisse.

At, quum nulla res sine forma sit, num ideo dicendum est omnes omnino pulchras esse? Respondet Plotinus:

*αἰσχρὸν δὲ καὶ τὸ μὴ* ΚΡΑΤΗΘΕΝ *ὑπὸ μορφῆς καὶ λόγου, οὐκ ἀνασχομένης τῆς ὕλης τὸ πάντη κατὰ τὸ εἶδος μορφοῦσθαι.* Est igitur pulchritudo *imperium* formae super subjectum s. materiam.

Sed, roget quis, quum pura materies e Plotini sententia aeque minus percipi queat ac deus, quippe quae nullas omnino habeat qualitates, nonne omnia, quae percipimus sensibus nostris, formae sunt ideoque pulchra?

Hinc philosophus statim addit: „ Quum materia non sustineat integram formationem."

Est nempe haec materiae natura, ut *omnes* simul ideas s. formas in se suscipiat, sed difficile est, ut in re aliqua *una forma* quum materiae tum caeteris formis, quae eidem immiscentur, *ita imperet, ut haec una forma quam maxime fieri potest pura appareat, caeterae accidentales formae autem huic ita subjectae videantur, ut oculi in hanc unam imperantem quasi defigantur.* Id ubi fit, ubi una idea, forma adspectabili sese patefaciens, ita pura conspicitur, ut res aliqua nisi hanc unam ideam exprimere videatur, pulchritudo adest.

Primum igitur pulchri indicium hoc est, ut in quolibet elemento, etsi formae accidentales sint multae, una tamen sit forma substantialis atque praecipua, utque ea dominante forma res ad *unitatem* redigatur. De hac unitate ita porro disserit:

„ Idea igitur, quum accedit, ordinat et in unam societatem conjungit id, quod compositione „ e multis partibus unum est futurum, atque ipsa consensione id conficit unum: quandoquidem „ et ipsa erat unum, ideoque unum oportuit esse formatum, quatenus, quod ex multis componitur

„unum effici potest. Fundatur ergo pulchritudo in ipso, quando in unum fuerit jam redactum, „atque se ipsam partibus totisque impertit."

Ne autem in errorem inducamur, putantes composita sola pulchra effici posse, addit: „At „quando idea unum quiddam similibusque partibus constans (e. g. elementum non compositum, „uti aurum vel argentum) nanciscitur, eandem qualitatem tradit in totum. Ita, exempli gratia, „ars pulchritudinem dat toti aedificio cum partibus, natura vero uni lapidi. Hac itaque ratione „formosum corpus efficitur communione rationis (*λόγου*) a divino numine venientis.

Capite tertio solvit auctor quaestionem, qua facultate animus agnoscat pulchrum in corporibus. Constat, ut facile intelligitur, haec facultas ideis animo innatis, quum omnes participes simus intellectus (*νοῦ*, i. e. idearum ipsarum). Quam disputationem praetermittimus narrare, hoc tamen animadverso, in ea summam illam pulchri legem de forma materiae imperanti aliis verbis exprimi; quae quum fortasse rei ipsi aliquid lucis offundere possint, non negligemus. Idea hic dicitur „*colligare et superare contrariam naturam, quae est informis;*" una illa praecipua idea s. forma „*emicat egregie in formis aliis* (quarum eadem materia particeps est), *et id, quod in multis disper-* „*sum erat, in unum congregat.* (*εἶδος ..... συνδησάμενον καὶ κρατῆσαν τῆς φύσεως τῆς ἐναντίας, ἀμόρφου οὔσης, καὶ μορφὴν ἐπ' ἄλλαις μορφαῖς ἐκπρεπῶς ἐποχουμένην, συνελοῦσα ἀθρόον αὐτὸ τὸ πολλαχῇ κτλ*).

Quod vero pluris nostra interest, jam sequuntur exempla pulchri in rebus quam minime compositis, quibus formula illa imprimis illustretur.

Primum exemplum est de pulchritudine coloris:

*τὸ δὲ τῆς χρόας κάλλος ἁπλοῦν μορφῇ, καὶ κρατήσει τοῦ ἐν ὕλῃ σκοτεινοῦ παρουσίᾳ φωτὸς, ἀσωμάτου καὶ λόγου καὶ εἴδους ὄντος.* In coloribus igitur lumen obtinet ideae vicem, obscurum contra materiae. Quo magis tenebrae a lumine superantur eo pulchior oritur color.

Alterum exemplum est de pulcherrimo inter elementa, de igne: „Qua propter et ignis ipse „praeter caetera corpora pulcher, quoniam, si cum elementis reliquis conferatur, speciei (s. ideae) „obtinet ordinem; nempe et caeteris eminentior est et omnium reliquorum corporum subtilissimus, „quasi incorporeae jam naturae propinquus. Atqui solus ipse non suscipit alia corpora, quum „ipsum alia capiant; calefiunt namque illa, ipse vero non suscipit frigus. Praeterea colorem „ipse primus habet: caetera vero ab hoc speciem coloris accipiunt. Emicat igitur atque fulget, „quasi sit species. Quando vero subjectum non superatur, velut luminis exigui particeps, haud „ultra pulchrum est, utpote quod coloris speciem non accipit totam." Quae verba certe commentario non indigent.

Tertium vero exemplum minus perspicuum est, desumtum de pulchro in re musica. Plotini verba haec sunt: *αἱ δὲ ἁρμονίαι ἐν ταῖς φωναῖς αἱ ἀφανεῖς τὰς φανερὰς ποιήσασαι, καὶ ταύτῃ τὴν ψυχὴν σύνεσιν τοῦ καλοῦ λαβεῖν ἐποίησαν, ἐν ἄλλῳ τὸ αὐτὸ δείξασαι. παρακολουθεῖ δὲ ταῖς αἰσθηταῖς μετρεῖσθαι ἀριθμοῖς ἐν λόγῳ οὐ παντὶ, ἀλλ' ὃς ἂν ᾖ δουλεύων εἰς ποίησιν εἴδους εἰς τὸ κρατεῖν.* Verba misere corrupta, quippe quae, priora saltem, nullum omnino sensum habeant. Quare fortasse ita legendum: *αἱ δὲ ἁρμονίαι ἐν ταῖς φωναῖς, τὰς ἀφανεῖς φανερὰς ποιήσασαι κτλ*, quo facto locus ita verti potest:

„harmoniae autem in cantu, quae latentes (in animo, s. ideales) harmonias manifestas (ita ut ad „sensus perveniant) faciunt, efficiunt, ut animus hac quoque ratione pulchri notitiam percipiat, „quum idem in alia re demonstrent. Competit vero harmoniis, quae a sensibus percipiuntur, ut „numeris mensurentur, non in omni quidem numeri ratione, sed in ea dumtaxat, quae inservit „ad ideam efficiendam, ita ut haec imperet." — Ex hoc igitur exemplo nihil prorsus discimus de imperio formae in materiam, nisi quod et harmoniis ideae exprimi possint.

Jam disquisitio de pulchro in rebus, quae sentiuntur, ita ab auctore absolvitur: „Sed hactenus „de pulchris, quae sunt in sensu, quae tamquam imagines umbraeque in materiam effluentes „ipsam exornaverunt, admirationemque sui, occurrentes sensibus, concitant."

Plotini igitur de pulchro doctrina huc fere redit:

1° Verum pulchrum ei aeque ac Platoni in ideis est positum.

2° Ideae, licet omnia sint in omnibus, tamen aliae praecipue pulchrum, aliae bonum, aliae alia spectant. Earum, quatenus ad pulchrum referuntur, vestigia in rebus corporeis s. in materia sunt *formae;* vestigia caeterarum idearum sunt aliae qualitates.

3° Materia, quum per se nullas omnino qualitates habeat, omnes aeque ideas in se suscipit, sed nec puras, nec integras. Ita pulchri quoque ideam per hanc illamve, vulgo per plures formas, pro viribus exprimere conabitur.

4° Jam pulchrum rei corporeae in eo constat, ut aliqua materia *unam* formam quam accuratissime expressam ostendat.

5° Per hanc unitatem enim quam proxime fieri potest accedit ad divinum principium, quod est unum ipsum.

6° Quum vero nulla materia sine qualitatibus a sensibus percipi possit, e contrario turpia erunt eae res, quae multas simul ideas in se suscipere conantur. Hinc enim sponte oritur confusio quaedam formarum, inter quas quum nulla nec materiae nec caeteris formis imperet, unitas prorsus evanescit.

Duo imprimis sunt, quibus pulchrum expositum per imperium unius formae in materiam et caeteras ejus formas sese commendat.

Multi enim de unitate in quaestione de pulchro disputaverunt, sed, quantum scio, nemo Plotino melius. Quum enim caeteri vix scirent, quo eam referrent, hic eam constituit in dominatione unius formae s. ideae super materiam et caeteras formas, quae tamquam accidentales sese eidem rei impertiant.

Ex praedominatione unius formae super caeteras qualitates ac formas sponte sequitur, quod Kantius (1) quique eum secuti contendunt, utile s. bonum a pulchro sejungendum esse (2). Nam si aedificium construitur eo consilio, ut commodis vitae excultae satis fiat, hae ipsae utilitates vitae fiunt idea, quae caeteris imperat. Idea vero aedificii, quae ejus perfectam et absolutam formam

(1) Duplex enim pulchri genus constituit: *pulchritudinem adhaerentem* et *pulchritudinem vagam.*

(2) Nicht weniger widersprechend ist der Begriff einer Schönen lehrenden (didaktischen) oder bessernden (moralischen) Kunst, denn nichts streitet mehr mit dem Begriff der Schönheit, als dem Gemüth eine bestimmte Tendenz zu geben. (Schiller, über die Aesthetische Erziehung des Menschen, 22° Brief.

continet, tum secundaria seu accidentalis fit. Si aliquod poema de vita rustica hoc sibi scopum habet, ut homines non ita arida forma doceantur de agricultura, pulchrum ex eo mox evanescit. Nam summa lex pulchri, secundum Plotinum, id postulat, ut lector abripiatur ad admirationem pulchri in adspectanda natura, minime vero, ut de utilitate e natura percipienda cogitet; quod ubi fit, prior illa idea, in qua pulchrum latet, non plane dominationem suam in materiam exercet. Hoc veteres plerumque melius perspectum habuerunt quam recentiores, quum in aedificandis deorum templis et aliis aedificiis non ad vitam communem destinatis de utilitate aut de commodis ne cogitarent quidem, unice formam quam perfectissimam efficere conarentur; contra in domibus privatis exstruendis parum ad exteriorem formam seu pulchrum attenderent, eas unice quam aptissimas ad usum, cui destinatae erant, instruere vellent. Nostrates vulgo omnia confundunt: in templis, basilicis aliisque aedificiis publicis requirunt fere commoditates domuum privatarum, his contra adaptare volunt faciem templorum. At idea pulchri quum non sinat, ut ita ad utile et commoda vitae adhibeatur, in partibus saltem domus, e. g. porticu et vestibulo, student ut pulchrum exprimant; in caeteris vero partibus ordinandis imprimis utile ante oculos habent, quo facto, quod fere necessario evenit, in ejusmodi aedificio duae ideae de summo imperio pugnant, quarum neutra victoriam reportat.

Hanc ipsam ob causam, estque hoc alterum insigne meritum philosophiae Plotinianae, saepius monet *non quamlibet materiam eam esse, ut pulchram formam suscipiat.* Quod quam vere sit dictum, docet opera, plerumque inanis, eorum artificum, qui id student, ut varias supellectiles et alias res ad vitam communem destinatas pulchra specie induant. Quid igitur faciunt? — Quam maxime licet usum, cui ejusmodi res inserviunt, i. e. ideam utilis s. boni, celare et obtegere conantur externa forma ita artificiose adapta, ut vix divinare possis, cui usui res, quam adspicis, sit destinata. Sentiunt nimirum cogitationes de usu aut de commodo ad vitam sustentandam pertinenti, quas ceteroquin adspectus hujus rei excitaturus esset, traducendas esse ad unam pulchram formam, quoniam tum demum forma victoriam de materia reportare possit, quum haec plane ex adspectu et eo ipso ex animo spectatoris amoveatur.

